Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1011
Quelle:
Copyright:

ſive ab oratione ſive ab operatione &c. *Cap.* IV. Hard. *nec non duos aut tres clericos.* Noſter addit: *ſiue laicos.* Melius ubique Noſter, ut conferenti patebit.

IX. *fol.* 173. p. 2. eleganti manu ſed aeque antiqua: *Brevis adnotatio capitulorum In quibus conſtitutiones conciliorum. mogontiacenſe. et remis. et cabillione et turonis. et arelato geſtorum concordant. et in quibus unum quodque proprias conſtitutiones habeat* &c. Index hic materiarum 6. occupat paginas, fidemque facit, omnium horum V. *Conciliorum* Decreta olim in hoc *Cod.* conjuncta fuiſſe. Verum, quae etiamnum ſuperſint, mox Lector cognoſcet. Et *fol.* quidem 176. p. 2. incipit *Concilium Moguntiacum* Quintum juſſu *Caroli* M. celebratum a. DCCCXIII. in Clauſtro Baſilicae S. *Albani.* Praefationis initium eſt: *In nomine Patris et filii et ſpiritus ſancti. glorioſiſſimo et chriſtianiſſimo imperatori Karulo. auguſto uere religionis rectori* &c. Extat hoc Concilium poſt *Crabbium*, *Surium*, *Binium*, *Sirmondum* &c. T. I. *Concil. Germ.* p. 404. ibique *Canones* cenſet LV. e quibus in *Cod.* noſtro non niſi XV. priores habentur, membranis, quibus reliqui et ſequentis *Concilii Cabillonenſis* initium continebatur, deperditis. Ultima nobis verba ſunt *Can.* 15. *atque uniuerſis utiliora prouideat.* Melioris lectionis vix quidquam ex iſthoc exemplo erui poſſit.

X. *fol.* 181. *Concilii Cabillonenſis* II. anno DCCCXIII. iuſſu *Caroli M.* celebrati *Canones* a *Can.* XX. qui incipit: *Si inter omnes fideles pax et concordia habenda eſt* &c. usque ad finem: *ſcripturarum prata percurrere non deſiſtat.* Extat hoc *Concilium* poſt alios in *Collect. Labb.* edit. *Venet.* T. IX. *col.* 357. et *Harduin.* T. IV. *col.* 1029. quibuſcum collatus *Codex* paene nihil variare deprehenſus eſt.

XI. *fol.* 186. p. 2. absque inſcriptione Initium *Concilii Turonenſis* III. ibidem anno DCCCXIII. *Caroli M.* juſſu convocati, cujus *Praefatio* ſic incipit: *Quantum piiſſimi Imperatoris noſtri excellens animus* &c. Extat integrum *Labb.* T. *cit. col.* 347. *Hard. col.* 1021. Nos primos modo *Canones* usque ad XII. verba haec: *maneat in epiſcopio* — — conſervamus, qui ab editis vix quidquam abludunt. Deperdita itaque ex *Cod.* praeter ea, quae adduximus, ſunt integra Concilia *Rhemenſe* II. et *Arelatenſe* VI. Quae omnia, ut olim in noſtro, conjuncta extare in quodam *Cod. Metropolitano Coloniensi* teſtatur *Harzhemius Conc. Germ.* T. I. p. 413.

XII. *fol.* 188. et ult. Fragmentum *Martyrologii metrici Venerabili Bedae* tributi, quod integrum edidit *Lucas Acherius* e Cod. S. *Remigii Rhemenſis* a *Joh. Mabillonio* deſcriptum T. X. *Spicil.* p. 126. Incipit ab ultimo verſu Junii: *Maxima quos palma clarat*